

mensis, atque ingens Saxoniorum Procerum numerus; cùmque legati hi Regis rem secreto prius inter Principes tractari peterent, reclamârunt libera voce Saxones, eaque quæ pertractanda haberent, palam omnibus audientibus exponere voluerunt. Postquam conséderé, diu silentium fuit, neutris proloquentibus; quòd Saxones intentè exspectarent, quænam à Rege postularentur: nec se congressum hunc, sed Regem petiisse cogitarent. Tandem longas silentij moras abrupit Gebhardus Salisbergensis Archiepiscopus gravi, & digna ad posteritatem oratione, quam hic ex Brunone referre libet.

*Episcopi venerabiles, ceterique, quos videtis adesse, Principes Saxonici, hanc operam mihi dignati sunt imponere, quatenus animos omnium mei sermonis officio debeam vobis exponere. Unde vos omnes sacerdotes sancti, ceterique primates eximii, rogatos esse volo, ut me dignemini patienter audire, et causæ communi, quam sum jussus agere, animum tranquillum, quo verum examinare possitis, adhibere; quod non plus nostra, quam vestra (si vultis) interest, quæ sum dicturus, agnoscere. Vestro ipsorum testimonio fiderent inde nitimus, quod vos, quanquam à nostra societate discessistis, à vertitatis amore non discedere confidimus: vestro (inquam) testimonio probare voluntus, quantis injuriis, quantis contumeliis sumus affecti, dum toto animo, tota voluntate (sicut decebat) Regis eramus servitio subjecti. Vos ipsi scitis, quoties sigillatum vel communiter vestrum petivimus auxilium, quo pro benevolia servitute nostra, vel hoc ex intercessione vestra redderet nobis præmium, ut à multarum, quæ nos importabiles premebant, levaret fasce calamitatum. Hoc quod sæpe postulavimus, optimè scitis: et quid postulando profecimus, similiter optime scitis. Inde vos non incusamus, quod vos pro nostra causa, quamvis parum nobis prodesset, sæpe laborasse cognovimus. Quale vero præmium nostræ devotioni dederit ultimum, quid opus est dicere: cum manifestum est, oculis omnium, quod hoc, quod habuit maximum, nobis rependit extremum. Sacerdotes namque non solum de nullo crimine convictos, sed nec legaliter accusatos, aut in vincula (sicut latrones) conjecit, aut à sedibus suis, quos capere non poterant, omnium rerum suarum nudos effugavit. Ecclesiæ rumbona, quibus Episcopi vel ipsi vivere, vel pauperes Dei sustentare deberent, scelerum suorum fautoribus dissipanda concessit. Terram nostram multis jam vicibus igne ferroque vastavit, cognatos sive milites nostros in nostris finibus innocentibus occidit, cùm nulla fuisset ei causa bellorum, nisi quod servos habere volebat filios hominum liberorum. Sæpe ipsum, sæpe vos singulos et universos suppliciter oravimus, ut gladio deposito causam nobiscum judiciis ageret, et nos vestrum per omnia judicium secuturos animo libenti spopondimus. Quid his omnibus profecerimus, vos ipsos in testimonium vocamus. Ergo nos, qui nunc adsumus, cum omnibus, quos tenet Saxonica tellus, vobis à sanctissimi Christi sacerdotes, et vobis à nobilissimi Principes, et fortissimi milites humiliter supplicamus, ut memores omnipotentis Dei, vestrique officii, vos quod estis animarum pastores, non perditores vocati, vos verò, quod gloriam*

*Conradus  
Traiect.  
Rupert.  
Bamb.  
Herman.  
Spirens.  
Sigefridus  
Mogunt.  
Gebhard.  
Salisb.  
Hardevv.  
Magdeb.  
Poppo  
Paderb.  
Udo Hilde-  
sim.*

*Salisbur-  
gensis Ar-  
chiep.  
oratio ad  
congrega-  
tos Epi-  
scopos &  
Principes.*

*01150.I  
01150.II  
01150.III  
01150.IV  
01150.V*